



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Ad Serenissimum Principem Condæum Solo Lacte Victitantem. Ode I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818



AD SERENISSIMUM PRINCIPEM
C O N D A E U M
SOLO LACTE VICTITANTEM.

O D E I.

NE sit pudori lacte regales mero
Mutare, Borboni, dapes;
Luxu & remoto, pellere innocentib'
Sitim famemque poculis.
Haud alias olim, rege Saturno, cibus
Heroas aluit & Deos:
Cùm pura adhuc, recensque ab auctoris manu
Natura nesciret dolum;
Rivisque latice candido manantibus
Curam & labores mergeret.
Tunc illa lacti concolor proles suo
Agitabat ævum latius;

S iii

JO. COMMIRII

Nec quid senectus , quidve lautitiæ comes
 Foret podagra, noverat.
 Tunc & capellæ plena siccantem ubera
 Tellus adoravit Jovem :
 Qui , ne sibi unquam tam bonus deesset liquor ,
 Nutricem Olympo transtulit.
 Apollo dulci rore cum cuperet frui ,
 Servavit Admeti boves:
 Mamasque crebro fuxit , ambrosiæ ut vetus
 Abstergeret fastidium.
 Hoc ipse madidus nectare Alcmenæ puer
 Nova fecit orbi sidera :
 Quot ab ore guttæ , dum bibit , defluxerant ;
 Tot iere per coolum faces.
 Languere inerti ne tamen crede otio ,
 Queis molle placuit poculum :
 Lac auger animos. Inde magnorum venit
 Effector operum spiritus ,
 Puroque bilis igne , cognata & ferens
 Superas ad arces pectora
 Æthereus ardor. Sic feros idem Hercules
 Laetantis in matris sinu
 Elisit angues ; seque conciliis Deum
 Patrioque deberi polo ,
 Jam tum probavit. Sed quid exemplis fidem
 De fabulosis quærimus ?
 Ephratæus ille pastor , immanes manu
 Cui ludus ursos frangere ;
 Cui sæpe presso gutture horrendum fremens
 Succubuit in silvis leo ;
 Virtutis unde robur indomitæ hauserat
 Et cor pavere nescium ?

CARMINUM LIB. III.

141

Per sola patrios rura sectantem greges
 Succo fovebat vivido
 Expers aratri vitula, & infestis lupos
 Laceſſere audax cornibus.
 Hinc funda victrix, & Palæſtinus caput
 Suo enſe truncatus gigas.
 Tibi ipſe testis, Borboni, an lac Martios
 Restinguat ignes peſtore.
 Dicat Batavo mutuam in cladem & probrum
 Male foederatus Celtiber;
 Epulisque opimis fruſtra, & ardentī mero
 Germanus iram fuſcitans.
 Valles Senefi ſtrage cumularunt ſuā,
 Vinoque rubrum & ſanguine
 Auxere Sabim. Pinguia obſcœnas adhuc
 Paſcunt volucres corpora.
 Seu cum Libyſſæ matris expreſſum bibit
 Mammā furorem turgidā,
 In bella catulus fertur, & ſævos boum
 Triftique cuſtodium nece.
 Exercet ungues. Efficaci poculo
 Ad arma ſic vigor redit,
 Nova & juventus. Te quidem nuper tribus
 Cum vidiſ auctūm laureis,
 Hostesque trepidō fugere cogentem gradu,
 Alſatia juvenem credidit.
 Nunc ergo dum te rore vitali fovet,
 Viresque fessas recreat;
 Laeti vicissim reddis antiquum decus;
 Meritosque honores afferis.
 Nam jure dici meruit heroum cibus;
 Quando ipſe fecisti tuum.

Expugnato Lim-
 burgo, Hagenoſ
 & Tabernā obſu-
 dione ſolutis,

Galli à voce
gallæ, quæ lac si-
gnificat, habere
nomen dicuntur.

Jam Gallus omnis, nomini favens suo,
Præ delicato nectare
Fastidiosus despuet suetas dapes,
Spretique dona Liberi.
Jam rursus imbre lota divino, novum
Trahent nitorem lilia.
At tu liquores quæ gravi nunquam ubere
Summittere almos desinis,
Juvenca felix! si potest quicquam meum:
Spondere carmen, & potest;
Non fabulosis clara Graiūm versibus
Io tibi se præferet:
Ex homine quamquam facta bœs, Dea ex bove
Templo remugit aureo;
Populosque blanda voce poscentes opem
Oraculis conterruit.
Dicere quondam nobiles inter feras
Tenere Olympi pascua:
Vernosque cornu ducere aurato dies,
Tauri marita lucidi.
Interea olentes perge regali memor
Herbas alumno carpere:
Præstesque Francis, lactea ut serus via
Condæus ad superos eat.

AD